

www.e-rara.ch

De Imitando Christo, Contemnendisqve mundi vanitatibus

Thomas

Basileae, M DC VI

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-52039>

Liber secundus

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

LIBER SECVNDVS.

De interiore hominis vita

CAP. I.

REGNUM Dei intus in vobis est, inquit Dominus. Conuerte te toto animo ad Dominū, relicto hoc misero mūdo, & inueniet animus tuus requiem. Disce exteriora contemnere, & interiorib. te addicere, & videbis regnum Dei in te venire. Est enim regnum Dei pax & gaudium in Spiritu sancto, quod non datur impijs. Veniet ad te Christus, suam tibi consolationem exhibiturus, si ei se dignam intus paraueris mansionem. Intus enim situs est omnis eius splendor & pulchritudo, ibi libenter versatur. Frequens illi itio est ad hominem internum, dulcis sermocinatio, grata consolatio, multa pax, familiaritas singularis. Agendum anima fidelis, præpara huic sponso cor tuum quò ad te venire, & in te habitare dignetur. Sic enim dicit: Si quis me diligit, is dicta mea exequetur, & ego paterq; meus ad eum veniemus, & apud eū degemus. Da ergo Christo locum, cæteris omnibus ingressum ad te denegans: illum si habebis, diues eris & copiosus. Ipse tibi prospiciet, tuaque omnia ita fideliter procurabit, vt in hominibus te spem habere nihil sit opus. Homines enim citò mu-

tantur, velociterque deficiunt: at Christus in perpetuum manet, suisque constanter adest ad extremum. Non est neque magna fiducia collocanda in homine fragili & mortali, etiamsi utilis sit & charus: neque magnopere dolendum, si is interdum aduersetur & contradicat. Qui hodie a te sunt, iidem cras ut aduersentur fieri potest, & contra, quippe qui sapere ut aura vertantur. Tuam omnem fiduciam in domino collocato, facitoque ut hunc timeas, hunc ames. Ipse tuam culpam probe aget, & quam optime componet. Non habes hic durabilem ciuitatem, & ubicunque es externus es & peregrinus, nunquam requiem adepturus, nisi cum Christo inime coniunctus. Quid hic circumspicis: cum non sit iste locus tuæ quietis? In celestibus debet esse habitatio tua, suntque tibi terrestria omnia obiter aspicienda, ut prætereant omnia, neque non tu itidem cum eis. Sic ea aspice ut eis non adhærescas, nec captus pereas. Ad supremum Deum ferantur cogitationes tuæ, Christumque precibus sine intermissione interpellato. Si ardua celestiaque contemplari nescis, acquiesce in Christi supplicio, inque vulneribus eius libenter habita. Si enim ad salutaria illa Christi vulnera vibicesque religiosè confugeris, magnam in rebus aduersis confirmationem senties, nec multum curabis hominum despicientiam tui, & facile eorum calumnias feres. Ipsemet Christus in mundo fuit hominibus despectui, & in maxima necessitate a notis &

amicis

amicis inter probra derelictus. Christus ipse pati voluit & despici, & tu de vilo audebis con-
 queri? Christus aduersarios habuit & male-
 dicos, & tu tibi vis omnes amicos esse & be-
 nedicos? Vnde conabitur patientia tua, si ad-
 uersi nihil occurrerit? Si nihil quod tibi cōtra-
 rium sit vis pati, quomodo eris amicus Chri-
 sti? Aduersa tibi & cum Christo & pro Christo
 ferenda sunt, si cum Christo regnare vis. Si vel
 semel in Iesu penetraha verè intrasses, eiusque
 amoris ardorem vel rātulum degustasses, non
 solūm tua commoda aut incōmoda nihil cu-
 rares, verūm etiam infamia tua gauderes: facit
 enim amor Iesu, vt seipsum homo contemnat.
 Potest, inquā, amator Iesu, & verè interior ho-
 mo, & intemperantium cupiditatum expers,
 sese ad Deum liberè conuertere, ac supra seip-
 sum spiritu elatus, eo quietè frui. Cui sapiunt
 omnia vt reipsa sunt, non vt dicuntur aut exi-
 stimantur, is verè sapiens est, & à Deo potius
 doctus quàm ab hominib. Qui & intus ver-
 sari, & externa paruipēdere scit, is nec loca re-
 quirat, nec tempora expectat ad religiosas ex-
 ercitationes vsurpandas. Citò se recolligit in-
 terior homo, quippe qui nunquam se totum
 extra effundat. Non illi obest labor exterior,
 aut occupatio ad tēpus necessaria: quin vt quę
 que eueniunt, sic ille se eis accommodat. Qui
 intus ritè compositus & cōparatus est, is ho-
 minum mirificos peruersosque mores non
 curat. Tantum quisque impeditur & distrahi-

tur quantum ad se res attrahit. Si ritè compositus ac probè purgatus esses, omnia tibi bono cōmodoque essent. Ideo tibi multa displicent, teque sæpe perturbant: quia nondum tibi metipsum planè mortuus, nec ab omnibus terrestribus seiunctus es. Animum hominis nihil sic cōtaminat & implicat, vt impurus amor rerum creatarum. Si externarum rerum consolationes aspernatus fueris, fiet vt coelestia consemplari, & frequēter interius exultare queas.

De modestia & obedientia.

C A P. II.

Quis à te sit aut contrà noli magnipendere, sed illud age & cura, vt tibi in cunctis operibus tuis adsit Deus, animumque habeas sibi bene conscium: ita fiet vt te Deus probè defendat. Nam quem is tueri volet, huic nullius perueritas nocere poterit. Si tacere patiq; scies, auxilium Domini proculdubio videbis. Ipse tui liberandi tempus nouit, ideoque te illi debes cōcredere. Dei est adiuuare, & hominem ab omni prōbro liberare. Sæpe multum prodest ad nos magis magisque deprimendos, vitia nostra ab alijs sciri atque argui. Dum se homo ob vitia sua demittit, facile alios placat, paruoque negotio sibi irascentibus satisfacit. Demissum hominem Deus protegit & liberat: ad demissum sese demittit: demisso multa largitur, eumque post ipsius depressionem ad gloriam extollit: demisso arcana sua

na sua patefacit, eumque suauiter ad se trahit & inuitat. Demissus licet contumelia ignominiaque affectus, tamen pacato est animo, quippe Deo nixus, non mundo. Noli te quicquam profecisse existimare, nisi te omnium infimum esse sentias.

De bono & placido homine.

CAP. III.

Tibimet primo pacem concilia: ita demum ceteros pacificare poteris. Plus prodest homo placidus, quam bene doctus. At contentiosus etiam bonum in malam partem trahit, & malum facile credit. Bonus & placidus homo omnia in bonam partem conuertit. Qui pacato est animo, is de nullo finire suspicatur: at qui sua sorte contentus non est, & varijs suspicionibus agitatur, is nec quiescit ipse, nec alios quiescere patitur. dicit sepe quod non debet, & omittit quod fieri expediret. Quid aliorum sit officij considerat, ipse sui negligens. Quare tuum officium imprimis curato: ita demum alterius quoque officium merito curabis. Tu facta tua excusare ac tolerare probe nosti, & aliorum excusationes non admittis. Aequius esset, ut te ipsum accusans, alterum excusares. Si ferri vis, ferto tu vicissimaliterum: ac vide quam precul absis adhuc a vera charitate atque modestia, quæ nulli, nisi sibi metipso, indignari irasciue nouit: Cum bonis & mansuetis rem habere haud magnū est, quip-

pe cum id omnibus naturaliter iucundum sit, & pacem quisque exoptet, sibi que consentientes plus cæteris diligat. Sed cum duris & peruersis, nobis que aduersantibus aut male moratis, pacatè posse viuere, hoc verò magni fortisque viri est, & magna laude digni. Sunt autem qui & ipsi secum & cum alijs pacem colunt. sunt qui nec ipsi pace fruuntur, nec alios eadem frui sinunt, graues illi quidem cæteris sed sibi metipsis semper grauiores. Sunt & qui tum seipsos in pace retinent, tum alios ad pacem reducere student. Cæterum omnis pax nostra in hac misera vita, potius in modesta tolerantia ponenda est, quàm in non sentiendo aduersa. Quo quisque magis aduersa pati nouit, eo maiore pace fruitur, idem que & victor est sui, & dominus Mundi, & amicus Christi, & heres cæli.

De mentis sinceritate, intentionisque simplicitate. CAP. IIII.

DVabus alis homo supra terrestria attolitur, simplicitate videlicet & sinceritate. Simplicitas intentionis, sinceritas affectionis est: illa Deum intendit, hæc apprehendit & gustat. Nulla te bona actio impedit, si animum habebis ab omni intemperato affectu liberum. Si nihil aliud quàm Dei voluntatem, & alterius vtilitatem intendes & quæres, fruëris animi libertate. Si rectus esset
animus

animus tuus, esset tibi vniuersa rerū natura speculum vitę, & liber sanctę doctrinę. nam nulla tam parua, tamque vilis res est, quę Dei bonitatem non repręsentet. Quod si bonum purumque animum haberes, omnia sine impedimento videres, & probę perciperes. Purus enim animus & cęelum penetrat & Orcum: ac qualem quisque animum habet, sic & de rebus externis iudicat. Si vsquam gaudium est, eo fruitur puri cordis homo. rursus si vsquam est calamitas & angustia, eam melius nouit nemo, quā animus sibi malę conscius. Sicut ferrum coniectum in ignem rubiginem amittit, totumque candens efficitur: sic homo ad Deum se totum conuertens, torporem exuit, & in nouum hominē mutatur. Tepescens homo vel tantulum laborem refugit, & externā ambit consolationem: idem si seriō seipsum vincere, diuinęque via viriliter ingredi cępit, fit vt quę prius grauias sentiebat, eadem nunc leuia ducat.

De sui consideratione. CAP. V.

Nobis ipsis nimis credere non debemus: nam sepe & dotes nobis & sensus deest. Exiguo lumine pręditi sumus, & id ipsum negligentia facily amittimus. Sępe etiam tam cęco esse nos animo non aduertimus: sępe & peccamus, & peccatum insuper peius excusamus, & interdum cupiditate perciti, studium putamus. In alijs parua re-

prehendimus : ipsi nostra maiora præterimus. quæ ab alijs nobis inferuntur, ea facillimè sentimus & magni pendimus: quid à nobis ferant alijs non advertimus. Enimuerò si quis sua bene riteque perpēderit, is cur de altero grauius iudicet causam non habebit. Interior homo sui ipsius curam omnibus curis antepōnit: & qui sibi met ipsi diligenter intendit, is facillè de altero tacet. Interior & religiosus nunquam eris, nisi de altero silebis, & in te ipsum in primis intueberis. Si tibi & Deo totus intendes, parum te mouebūt, quæ extrinsecus accident. Vbinam es, dum ipse tibi præsens non es? aut postquam omnia percurristi, quid te neglecto profecisti? Ut veram pacē & concordiam adipiscaris, necesse est ut omnibus postpositis te solum ob oculos habeas. Itaque & multum proficies, si omni humana cura supersedebis: & multum decresces, si quid humanum magnificies. Nihil altū, nihil magnum, nihil gratum, nihil acceptum tibi sit, nisi quod aut planè Deus, aut Dei sit: à rebus quidem creatis quicquid solatij affertur, id totum inane ducito. Dei amans anima præ Deo despiciat vniuersa. Solus Deus æternus, immensus, implens omnia, solatium est animæ, & vera cordis lætitia.

De bonæ conscientie lætitia.

CAP. VI.

Boni viri gloria in animi sibi bene conscij testimonio posita est. Esto tibi bene conscius, & perpetua fruëris lætitia. Bene sibi conscius animus, & plurima ferre potest, & inter aduersa etiam exultare lætitia. at malè sibi conscius semper timidus est & inquietus. Sua uiter quiesces si te animus tuus non reprehendet. Noli lætari nisi cum bene feceris. Mali nunquam nec vera lætitia fruuntur, nec animi pacem experiuntur, quippe cum impij (vt ait Dominus) sint pacis expertes. Quod si se in pace degere, nec malis inuadendos, nec quenquam sibi nocere ausurum dixerint eis ne credito. nam tanta in eos repente existet ira Dei, vt & in nihilum redigantur eorum actiones, & pereant cogitationes. De calamitate gloriari amanti difficile non est: sic enim gloriari, est de Domini cura gloriari. Breuis est gloria, quæ ab hominibus vel tribuitur vel accipitur, humanamque gloriam semper comitatur tristitia. Bonorum gloria in ipsorum conscientia, non in hominum ore sita est. Iustorum lætitia & de Deo & in Deo est, eorumque gaudium de veritate. Qui veram æternamque gloriam cupit, is temporariam non curat. qui uero temporariam aut quærit aut non ex animo contemnit, is omnino minus amat cœlestem. Magnam habet animi tranquillitatem qui nec

laudes nec probra curat. Facile sorte sua contentum pacatumque se præbet is, cuius conscientia munda est. Neque sanctior es si laudaris, neque deterior si vituperaris: id ipsum es quod es, neque maior dici potes, quam quantus Dei iudicio es. Si attendes quid intus in animo sis, non curabis quid de te foris loquantur homines. Homo vultum, Deus animum videt. homo facta Deus consilia pensat. Semper benefacere, & seipsum parvipendere, modesti animi iudicium est. Nullius humanæ rei solatium admittere, singularis sinceritatis & intimæ fiduciæ argumentum est. Qui nullum aliunde de se testimonium quærit, non dubium est, quin is se totum Deo commiserit. Non enim qui seipsum commendat, is probandus est, inquit Paulus, sed quem Deus commendat. Habere cum Deo negotium in animo, nec ulla affectione extrinsecus agitari, status est hominis interioris.

De Iesu super omnia amando.

CAP. VII.

BEatus qui intelligit quid sit Iesum amare, & seipsum propter Iesum contemnere. Ob diligendum relinquendus est dilectus, quandoquidem vult Iesus se solum amari supra omnia. Est humanarum rerum dilectio fallax & instabilis: at Iesu fidelis & durabilis. Humanæ rei qui adhæret, is cum caduco casurus est: at Iesum qui amplectitur, is in perpetuum

CON-

consistit. Illum dilige, eius amicitiam retine, qui omnibus discedentibus non sit te derelicturus, neque tandem perire passurus. Ab hominibus velis nolis aliquando diuelleris: quocirca tum viuens tum moriens adhæresce Iesu, eiusque fidei te committe, qui omnibus deficientibus solus tibi opem ferre potest. Est ille tuus amicus eo ingenio, vt alienum non admittat, sed solus animum tuum sibi vendicet, & qui in eius solio, tanquam rex sedeat. quod si rerum omnium humanarum societatem abijcere scires, libenter tecum habitaret Iesus. Penè totum perditum inuenies, quicquid extra Iesum in quemcunque impenderis. Noli confidere aut innitenti nutanti calamo: nam mortales omnes herba sunt, & eorum omnis gloria floris instar cadit. Facile decipieris, si duntaxat in hominum speciem oculos conieceris. nam si in alijs solatium lucrumque tuum quaeres, sæpe detrimentum patiere. Iesum in omnibus quaeres, si Iesum utique inuenies: si te ipsum quaeres, te ipsum equidem inuenies, sed ad tuam perniciem. Nam ipse sibi quisque plus nocet, si Iesum non quaerit, quam vniuersus orbis, omnesque aduersarij.

De familiari amicitia Iesu.

C A P. VIII.

DUm Iesus adest, bene se habent omnia, nec quicquam difficile videtur: eodem

absente omnia dura sunt. Iesu in hominis animo non loquente, quæuis consolatio parum habet momenti: eodem vel vnum verbum loquente, mera sentitur consolatio. Sic Maria Magdalena de loco surrexit in quo flebat, simulque magistrum adesse, ipsamque vocare ei Martha nunciauit. Felix hora qua Iesus à lachrymis vocat ad gaudium spiritus. Quàm aridus & durus es sine Iesu? quàm insipiens & vanus si cupis aliquid extra Iesum? maiore profectò iactura quàm si totum mundum perderes. Quid enim potest cõferre mundus sine Iesu? Esse sine Iesu, acerba mors; cum eodem esse, vita dulcis est. Si tecum erit Iesus, nullus nocere poterit inimicus. Iesum qui inuenit, bonum thesaurum inuenit; vel potius summum bonorum: eundem qui amittit, nimium amittit. Quid dixi nimium? plus amittit, quàm si vniuersum orbem amitteret. Sine Iesu qui viuit, pauperrimus est: cum Iesu cui bene cõuenit, ditissimus est. Cum Iesu versari magnæ artis est, eundemque scire retinere, magnæ prudentiæ. Esto modestus & placidus, & tibi aderit Iesus. Esto religiosus & quietus, & tecum permanebit Iesus. Eundem faciliè fugaueris, eiusque gratiam amiseris, si ad exteriora deflexeris. Quòd si illum fugatum amiseris, ad quem tunc confugies? aut quem tunc quæres amicum? Sine amico quidem diu viuere non potes, quòd si Iesus tibi præ cæteris omnibus amicus non erit, desertus ab eo supra modum dolcibus.

dolebis. Itaque stultè facis, si vlli alij confidis, aut alio lætaris. Prestare vel totum orbē quàm vnū Iesum habere infensum. Quamobrem omnium qui chari sunt, sit Iesus longè dilectissimus. cæteri propter Iesum, Iesus propter seipsum diligatur. Solus Iesus Christus singulariter est amandus, qui solus amicorum bonus & fidelis inueniatur. Propter hunc & in hoc tibi chari esse debent tum amici tum inimici, idemq; pro omnibus illis orandus est, vt cum omnes cognoscant & diligant. Nunquā cupias singulariter laudari & amari: hoc enim Dei est, qui parem non habet. neū velis vt cuiusquam animus tibi sic addictus, neu tu in cuiusquam amore occuperis: sed & in te & in omnibus bonis viris sit Iesus. Mundum liberumque animum habeto, & ab omni humanarum rerum impedimento vacantem. Nam mundus sis oportet, & sincerum animum ad Iesum afferas, si vis vacare, & quā suavis sit Dominus videre. Et quidem eò nunquam peruenies, nisi eius fauore præuentus & attractus, vt omnibus abolitis & abdicatis solus soli copuleris. Nam si Dei fauor homini interuenit, fit vt nihil nō possit homo: idē si discessit, pauper est & infirmus, & quasi tantum ad flagella relictus.

Que dum fiunt, dei rei non debes, aut desperare, sed erga Dei voluntatem æquum animū gerere, omnesque casus tuos ad Iesu Christi laudem perpeti. nam hyemem sequitur æstas, & post noctem redit dies, & tempestati succedit magna serenitas.

De vacuitate solatij. CAP. IX.

Non arduum est, humanum contemne-
re solatium, dum adest diuinum, sed
tum humano tum diuino posse carere
solatio, & ob Dei gloriam animi exilium liben-
ter ferre, & nulla in re sibi studere, aut meritum
suū spectare, hoc demum magnum est, vel po-
tius maximū. Quid magni est, si dū Dei fauor
adest, tu hilaris es & religiosus? quis illam ho-
ram non optet? Suauiter equitat, quem Dei
gratia portat: & quid mirum, si onus non sen-
tit, qui portatur ab omnipotente, & ducitur à
summo ductore? Libenter alicuius rei solatio
adherescimus, & difficulter homo seipso ex-
iit, multumque & diu certandum est ho-
mini, antequam discat seipsum plenè supera-
re, suosq; sensus omnes ad Deū trahere. Quā-
diu seipso nititur homo, facilè delabitur ad
humana solatia: sed Christi verus amator, &
studiosus virtutum sectator, ad solatia illa non
declinat, ne tales sensuum dulcedines qua-
rit, sed potius vehementes exercitationes, &
pro Christo duros labores. Igitur si quando
tibi spirituale solatium diuinitus datur, id tu
cum gratiarum actione accipito, & Dei mu-
nus, non meritum tum esse scito, neue eo su-
perbito. Noli dono nimium gaudere, aut ina-
niter insolescere, sed esto potius tanto mode-
stior, neq; non in cunctis actionib. tuis cautior
atq; timidior. Nā præteribit tempus illud sola-
tij, se-

zū, sequeturq; tentatio. Igit̄ sublato solatio, ne
protinus desperato, sed cœlestem opem cum
modestia & patientia expectato. Potest enim
Deus ampliore te & dono & cōsolatione ite-
rum afficere. Neq; verò nouum istud est, aut
insolens, expertis viam Dei. siquidem præci-
puæ sanctitatis homines, prisciq; vates, huius-
modi vicissitudinem sæpe sunt experti. Itaque
quidā diuina ope fultus ita dicebat: Equidem
cū in tanta felicitate essem, nunquam mihi
labefactandus videbar.

Eadem sublata quid sibi euenerit, subiungit
his verbis: Deinde te vultum tuum abdente
perturbatus sum.

Interea tamen nequaquam desperat, sed
tanto vehementius Dominum orat, atque ita
dicit. Inuocaui te, Domine, supplicauī Do-
mino.

Tandem supplicationis suæ fructum repor-
tat, seque exauditū testatur dicens: Exaudiuit
Dominus meiq; misertus est. Sed in quōnam?
Tu meum mœrorem, inquit, in chorū ver-
tisti, meque exutum centone, amiciuisti gau-
dio. Quòd si hæc tantæ sanctitatis viris con-
tigerunt, nobis humilib. & inopibus despe-
randum non est, si modò in frigore, modò in
ardore sumus: quandoquidem spiritus venit
abitque arbitratus suo. Eam ob causam dicit
Lobus. Eum tanti facis, eius vt rationem ha-
beas, eumque quotidie cures, & per singula
momenta explores.

Quanam ergo in respem habere, aut cui
 confidere debeo, nisi soli illi summæ Dei mi-
 sericordiæ gratiæque cœlesti? Nam licet ad-
 sint homines boni religiosique fratres, & ami-
 ci fideles, aut sancti libri & elegâtes sermones,
 aut dulces cantus & carmina, omnia hæc pa-
 rum iuuant, parum arrident, si diuina ope de-
 stitutus, meæ sum relictus inopiæ. Tunc nul-
 lum est melius remedium, quàm patientia &
 abnegatio mei secundum Dei voluntatem. E-
 quidem in nullum vnquam incidi religiosum
 hominem, cui non aliquando subtractum fue-
 rit diuinum præsidium, aut qui non senserit
 ardoris diminutionem: nec extitit vllus vnquã
 vir sanctus tã altè raptus & illuminatus, quin
 is vel citius, vel serius, aliquando certè fuerit
 tentatus. Non est enim dignus alta Dei con-
 templatione, qui pro Deo non fuit exercita-
 tus aliqua miseria. Solet enim præcedens ten-
 tatio sequentis cōsolationis esse signũ. Nam
 ijs qui tentationibus explorati sunt, cœlestis
 promittitur consolatio. Qui vicerit, inquit,
 dabo ei edere de arbore vitæ. Et datur conso-
 latio diuina, vt sit homo fortior ad aduersa
 perferenda. Et sequitur tentatio, ne bono su-
 perbiat. Non dormit diabolus, nec adhuc mor-
 tua est caro: ideoque nunquam intermittere,
 teipsum ad certamen præparare: nam à
 dextra sinistraque sunt ho-
 stes irrequieti.

*De gratitudine erga Dei beneficia.**C A P. X.*

Quid quæris quietem, cum natus sis ad laborem? Dede te potius patientiæ, quàm consolationi, & cruci portandæ quàm lætitiæ. Quis enim vel mûdanus homo non libenter consolatione spiritali semper fruatur, si semper potiri queat? quippe quæ omnibus mundi delicijs carnisq; voluptatibus antecellat. Nam omnes mundanæ deliciæ aut turpes sunt aut vanæ: at spirituales solè iucundæ, solæ honestæ, ex virtutibus progenitæ, & à Deo paris infusæ mentibus. Sed eiusmodi sunt diuina hæc solatia, vt eis nemo suo arbitrio frui queat, quippe cum non diu cesset tentatio. Multum aduersatur cœlesti auxilio falsa libertas animi, nimia quæ sui confidentia: & Deus beneficit, qui in hominem solatij beneficium conferat: sed homo malè facit, qui non totum Deo cum gratiarum actione acceptum ferat. Hinc fit, vt in nos influere diuina dona ideò nequeant, quia ingrati sumus in auctorem, nec omnia refundimus in fontis originè. Gratiã enim qui habet nouam prouocat: & à superbè ingratis auferri solet, quod in modo ste gratos conferatur. Nolo solatium quod mihi auferat aculeos; nec afferterem perspiciẽtiam quæ me euehat in superbiã. Non enim quicquid altum est, idem & sanctũ: nec omnis

cupiditas pura est: nec quicquid dulce, idem & salubre: nec quicquid homini charū, idem & Deo gratum. Libenter ea beneficia accipio, quibus modestior timidiorq; reddar, & ad me ipsum relinquendum paratior. Qui acceptis à Deo beneficijs, & iisdē postea subtractis doctus atque castigatus est, is sibi nihil audet boni arrogare, sed potius inopem se nudūque cōfiterur. Da Deo quod Dei est, & tibi ascribe quod tuum est: hoc est, Deo gratias pro beneficijs age, tibi verò culpam tribue, & pro culpa pœnas deberi censeto. Habeto te semper infimo loco, & tibi dabitur summus: nam sine infimo summus non constat. Quos Deus nomine sanctitatis pro summis habet, ij seipos pro minimis habent: quantoq; sunt gloriosiores, tanto se gerunt summissius, pleni veritate & gloria cœlesti, non vanæ gloriæ cupidi. Qui Deo nixi consistunt, ij vt insolēscant fieri nullo modo potest: & qui Deo ascribunt quicquid boni adepti sunt, ij mutuam gloriam non ambiunt, sed eam que à solo Deo est volūt, Deūq; tum in se tum in omnib. ceteris sanctis hominibus laudari supra omnia cupiunt, semperque eodē tendunt. Quocirca gratum te in parvis præstato, & dignus eris qui maiora cōsequere. Sint tibi vel minima vilissimaque dona pro maximis & eximijs. Nam si datoris dignitas spectatur, nullum donum aut munus paruum aut vile videri debet. Non enim paruum munus est, quod à summo Deo donatur, vsque ad cō,

adeò, vt si vel pœnas & verbera donet, id gratum esse debeat, vtpote cū semper ad salutem nostram faciat, quicquid nobis vsu venire permittit. Qui Dei gratiam retinere cupit, is se & gratum pro collatis & patientem sublati beneficijs præbeto, vtq; redeant orato, & ne amittat cautus & modestus esto.

De paucitate amatorum crucis Iesu.

CAP. XI.

Habet nunc Iesus regni sui cœlestis amatores multos: sed crucis gestatores paucos: habet consolationis cupidos multos, sed calamitatis paucos: mensæ socios inuenit frequentes: sed cōtinentiæ paucos. Cum Christo gaudere volunt omnes, sed cū eodem aduersa ferre pauci. Iesum multi ad panis vsq; fractionē sequuntur: sed ad supplicij calicem potandum pauci: Eius miracula venerantur multi: sed crucis ignominiam sequuntur pauci. Iesum multi diligunt quandiu aduersa non contingunt, eundem multi laudant & gratias agunt, quandiu aliquid solatij ab eo accipiūt. Idem si se abscondit, & paulisper eos relinquit, aut in quærimonias, aut in animi deiectionem nimiam cadunt. At qui Iesum propter Iesum, non propter vllum suum ipsorum solatium diligunt, illi cum in calamitatibus & animi angoribus æquè ac in summis solatijs concelebrant, eiq; semper gratias agūt, idem facturi etiam si ille omnem eis conso-

lacionem in perpetuum denegaret. tantum potest merus amor Iesu nullo priuato commodo aut amore sui permixtus. Itaque omnes mercenarij dicendi sunt, qui semper quærunť solatia, omnes sui magis quàm Christi amatores esse perspicuum est, qui sua commoda lucraque semper cogitant. Gratis quidem seruire Deo qui velit quotus quisque est? aut qui sit ita spiritualis, vt omnibus humanis rebus sit nudatus? Verè, inquam, animo pauperem, & ab omnibus mundanis rebus nudum quis inueniat? preciosum illum, & ab vltimis vsque orbis finibus petendum? Si vel omnes facultates suas impendat homo: nihil adhuc egit: & si graui se peccatorum pœnitentia castiget, adhuc parum est: & si scientiã omnem percipiat, adhuc longè abest: & si singulari virtute, ardentissimaque sit religione præditus, adhuc multum ei deest, vnum scilicet, quod ei summè necessarium est. Sed quidnã illud tandem? nimirum vt cæteris omnibus relictis se ipsum relinquat, totusque ex seipso egressus, nihil priuati amoris retineat. Quum omnia fecerit, quæ facienda seuerit, nihil se fecisse sentiat, neue magni pendat quòd magnus haberi possit, sed verè inutilem seruum se pronūciat, sicut veritas ait. Quum feceritis omnia quæ vobis præcepta sunt, tamen ita dicitote: Serui sumus inutiles. Tum demum animo inops & nudus erit, ei que cum vate illo dicere licet. Solus & inops ego sum. Et tamen illo

nemo

nemo ditior, nemo liberior, nemo potentior,
qui & se & omnia relinquere sciat, & ad infi-
ma se deijcere.

De Christi cruce ferenda.

CAP. XII.

DVrum multis videtur dictum hoc: Abne-
ga teipsum, tolle crucem tuam, & Iesum
sequere. Sed multo durius erit illud vlti-
mum: Ite hinc execrabiles in ignem eternum.
Qui enim nunc libenter audiunt & sequun-
tur dictum crucis, ij tunc non horrebunt tri-
stem illam æterni supplicij sententiam. Atque
hoc erit signum crucis in cœlo, quum Domi-
nus ad iudicandum veniet. Tunc omnes serui
crucis, qui vitam crucifixo congruam vixerint,
ad Christum accedent iudicem cum magna fi-
ducia. Quid igitur crucem tollere dubitas, per
quam itur ad regnum? In cruce salus est, in
cruce vita, in cruce præsidium aduersus hostes,
in cruce infusio supernæ suauitatis, in cruce ro-
bur mentis, in cruce gaudium spiritus, in cruce
virtus summa, in cruce perfectio sanctitatis.
denique absque cruce nec animæ salus, nec
æternæ vitæ spes est. Tolle ergo crucem tuam,
& sequere Iesum, & ibis in vitam æternam.
Processit ille ferens crucem suam, & in cruce
pro te mortuus est, vt tu quoque crucem fe-
ras, & in cruce mori cupias. Nam si vnâ curâ
eo mortuus fueris, vnâ etiâ viues: & si socius
fueris supplicij, socius eris & gloriæ.

Etenim vt hoc scias, in cruce atq; in moriendo sita sunt omnia, nec ad vitam veramque pacem animi vlla alia via est quam crucis, & quotidianæ enectiois sui. Quocunque te vertas, in quamcunque partem conijcias oculos, nullam vsquam supra infraue vel altiore vel tutiorem viam inuenies, quam crucis. Omnia arbitrio iudicioque tuo componas licet atque compares, fieri non poterit quin tibi vel volenti vel inuito semper sit aliquid patiendum, semperque in cruce incurras. Aut enim corporis dolorem experire: animi ægritudine cruciaberis: interdum à Deo derelinqueris, interdum ab altero exerceberis: & quod grauius est, sæpe tibi metipsi grauis eris: idque ita vt nullo remedio queas aut solatio liberari, quin tibi, quandiu volet Deus, id sit perferendum. Vult enim Deus, vt miseriam sine consolatione pati discas, eique te totum subiicias, & modestior calamitate fias: Christi supplicium nemo sic animo sentit, vt is cui similia pati contingit. Crux igitur semper parata est, & vbique te manet. nec effugere potes, quocunque curras: nam quocunque veneris, te ipsum tecum portas, & semper te ipsum inuenies.

Conuerte te sursum, conuerte deorsum, conuerte extrorsum & introrsum, vbicunque cruce inuenies, ac necesse est vt vbicunque patientiã teneas, si animi pace frui, & perpetuam obtinere vis coronam. Si tu cruce libenter portabis, ipsa te vicissim portabit, & ad optatum

tum finem perducet, vbi videlicet patiendi finis erit, qui quidem hic futurus non est. Sin iuitus portabis, onus tibi facies, & teipsum magis grauabis, & tamen ferendū erit. Si crucem vnam abijcies, in alteram profectò incurres, & quidē forsitan grauiorē. Tēne speras euasurum, quod nulli mortalium licuit declinare? Quis sanctorum virorum in orbe sine cruce fuit & miseria? Ipse dominus noster Iesus Christus nullam horā fuit expers doloris & cruciatus, quandiu in hoc orbe vixit. Oportebat enim Christū pati, & à mortuis resurgere, atq; ita gloriam suam inire. & tu aliam viam quæres, ac non regiam hanc viam crucis? Tota vita Christi crux fuit & cruciatus, & tu tibi requiē quæres & lætitiā? Erras, erras, si aliud quæris quàm calamitatum perpeffionē: quippe cūm tota hæc vita mortalis plena sit miserijs, & circumsepta crucibus. ac quanto quisq; in rebus diuinis maiores progressus habet, tātō sæpius in grauiores cruces incidit, vtpote cūm calamitatis dolor magis amore crescat. Neque tamen tam multi pluribus calamitatibus pressus hic de quo loquor, caret leuamento consolationis, quando quidem & hac cruce sua vberem fructum percipere se sentit. Nam dum se cruci sponte subijcit, fit vt omne calamitatis onus in diuinæ consolationis fiduciam conuertatur: ac quanto magis labefactatur calamitate caro, tanto magis animi consolatione corroboratur spiritus. adeoque nonunquam

confirmatur sensu calamitatis & rerum ad-
 uersarum (tantus est amor similitudinis crucis
 Christi) vt dolore & miseria vacare non optet:
 quoniam tanto se Deo acceptiorem esse cre-
 dit, quanto plura & grauiora pro eo ferre
 potest. Neque verò fit illud hominis virtute,
 sed Christi beneficio, quod tantum potest,
 tantumque perficit in carne fragili, vt quod na-
 turaliter semper abhorret & fugit homo, id ar-
 dore spiritus aggrediatur & amet. Non hu-
 manæ facultatis est crucem ferre, crucem ama-
 re, corpus domare & subigere, fugere hono-
 res, libenter ferre contumelias, seipsum despi-
 cere, & despici optare, aduersa quæque cum
 damnis perpeti, & nihil prosperitatis in hoc or-
 be cupere. Horum tu nihil tuo Marte poteris,
 si à teipso pendebis: si in Domino confides, da-
 bitur tibi de cælo fortitudo, tuæque ditioni
 subijcietur Mundus & caro, quin ne Diaboli
 quidem inimicitias timebis, si fide armatus,
 & Iesu cruce signatus eris. Quamobrem ap-
 plica te, sicuti fidèlem bonumque Christi seruū
 decet, ferendam viriliter crucem domini tui,
 pro te præ amore in crucem sublati. Paratus
 esto ad toleranda multa aduersa & varia in-
 commoda in hac misera vita: siquidem sic te-
 cum agetur vbicunque deges, eritque tibi o-
 mnino hæc ferenda conditio, vbiubi latebis,
 nec vlla vsquam via est euadendi calamitatum
 dolorumque; miseriam, quin ea perpetienda est.
 Tu Domini calicem auidè pota, si eius amicus
 & consors

& cōfors esse cupis: quod ad cōsolationes at-
tinet, eas Deo cōmitte, ijs ipse vtatur arbitrio
suo. tu ferēdis calamitatibus deditus esto, eas
que pro maximis solatijs ducito. Neque enim
pares sunt huius temporis calamitates futura
gloriæ, qua sumus aliquando afficiendi, eti-
am si solus tu omnes perferre posses. Postquā
eō perueneris, vbi tibi pro Christo aduersa fer-
re dulce sit & iucundum, tunc tecum bene agi
existimato, qui cœleste regnū inueneris in ter-
ris. Rursum quandiu ferre grauaberis, & fugi-
tabis, tandiu malè tecum agetur, teque vbique
vexabit fuga calamitatis. Sin te ad officium
tuum, hoc est ad patiendum moriendumque
applicabis, breui subleuaberis, & pacem inue-
nies. Etiam si vel in tertium cœlum cum Paulo
raptus fueris, non ideò exploratum habebis,
nihil tibi aduersi esse euenturum. Ego (inquit
Iesus) ei ostendam quantum ei sit meo nomi-
ne patiendum. Itaque vt patiari necesse est, si
Iesum diligere, & ei perpetuò seruire placet.
Atque vtinam dignus sis, qui pro Iesu nomine
aliquid patiaris: quanta inde & tibi gloria, &
sanctis omnibus lætitia, & hominibus vtilitas
existet? Nam patientiam commendat omnes,
licet pauci pati velint. Equidem magna causa
est, cur pro Christo paululum pati velis, quum
multò grauiora patiari pro Mundo. Atque il-
lud certò scito, tibi moriendo viuendum esse:
ac quanto quisque sibi magis moritur, tan-
to eundem Deo magis viuere. Nemo aptus

est ad comprehendenda cœlestia, nisi qui se
 submiserit ad aduersa pro Christo ferenda.
 Denique nihil vel Deo acceptius, vel tibi sa-
 lutarius in hac vita, quàm libenter pati pro
 Christo: adeò vt si tibi detur optio, malle de-
 beas pro Christo aduersa pati, quàm multis
 consolationibus recreari: ita enim & Christo,
 & omnibus eius cultoribus sanctis similior
 existes. Neque enim in copia voluptatum, &
 consolationum situm est meritum nostrum of-
 ficijque profectus, sed potius in grauibus ma-
 lis calamitatibusq; perferendis. Quòd si quid
 melius aut homini salutarius esset quàm ad-
 uersa pati, vtique Christus id & verbis & fa-
 ctis ostendisset. Nunc & discipulos sectatores
 suos, & omnes sui sequēdi cupidos manifestò
 ad crucem ferendam hortatur in hūc modum:
 Si quis post me venire vult, abneget semeti-
 ipsum, tollat crucem suam, & me sequatur. Igi-
 tur omnibus perlectis & exploratis sit hęc ora-
 tionis conclusio, Per multas calamitates
 nobis in Dei regnum intran-
 dum est.

Finis libri secundæ